Kacharskij Succamerario Alexandro Lasco de Czestkowa Skala Tribuno Vexillifero Georgio Lasco Tribuno Terrarum Belsen. Grat. Fid. nobis dilectis gratiam nostram Regiam. Generosi Fid. nobis dilecti. Expositum est nobis nomine oppidanorum nostrorum Czestochowien. Boticensem esse pleraque circa illud oppidum et in ipso oppido loca per vias publicas cenosa et impedita transituque difficilia quae etiamsi oppidani praedicti reparare conantur huic tamen oneri propter defectum aerarij sui succumbere coguntur. Supplicatum itaque nobis est ut ratione sumptuum et impensarum quos ijdem oppidani in reparatione viarum praedictarum facturi sunt Teloneum ibidem aliquod instituere dignaremur. Nos itaque supplicationi huic benigne annuentes commoditatique istac iter facientium prospicere volentes publicarum constitutionum praescripto in tenorem antequam aliquid in ea re statuamus Fid. vestras quorum id muneris et officij est admonendas eisdemque per lustrationem illorum locorum cognitionemque Telonei si et quale ibidem institui possit et debeat committendum esse existimavimus. Quemadmodum admonemus committimusque per praesentes mandantes eisdem ut collatis inter se de temporis opportunitate sententijs ad oppidum praefatum Czestochowa Boticense ante Conventum Regni Generalem proxime futurum descendant locaque illa impedita perlustrent et considerent, simulque sumptuum in eam rem necessariorum et Telonei instituendi quantitatem cognoscant et expendant Coeteraque in eiusmodi rebus considerari solita diligenter pro fidei suae et conscientiam debito animadvertant ea scripto concipiant atque ad nos ad Comitia Regni proxime futura pro confirmatione eius ordinum consensu faciendam remittant, nec secus pro gratia nostra faciant. Datum etc.

Mandatum ad Gedanen.

Sigismundus etc.

Spectabilibus et Famatis Burgrabio Proconsulibus et Consulibus civitatis nostrae Gedanen. Fid. nobis dilectis. Opus habet ad causam suam Generosus Paulus Schorbichs Secretariorum nostrorum Notarius rescripto cuiusdam Privilegij quod Famatus Fabianus Hagen ab incolis villa Ladekop in certa pecuniae summa pignoris loco recepit. Mandamus itaque Fid. Vestris, ut nomine eiusdem Pauli Schorbichs requisitae eundem Fabianum ad se vocent atque iure adigant ut Privilegium eiusmodi exhibeat, eius vero rescriptum Mandatario dicti Pauli Schorbichs dari curent Pro gratia nostra et offensam evitando debito.

Revisio

364